

1009. VII, 5-5 — Bula de Clemente V, *Regnans in ecclesis triumphans*, dirigida a el-rei D. Dinis, pela qual lhe pedia que fosse com os prelados de Portugal ao Concílio de Viena, para se determinar o que se havia de fazer da Ordem do Templo e de seus bens, por causa dos erros que tinham cometido os seus cavaleiros e comendadores. Pitavia, 1307, Agosto, 12. — *Pergaminho. Bom estado. Selo pendente de chumbo.*

*Clemens* episcopus servus servorum Dei carissimo in Christo filio Dyonisio regi Portugalie illustri salutem et apostolicam benedictionem.

*Regnans* in ecclesis triumphans ecclesia cujus pastor est Pater Eternus cui sanctorum ministrant agmina et laudis gloriam angelorum chori decantant in terris ad sui similitudinem et representationem constituit ecclesiam militantem unigenito filio Dei vivi Domino Jhesu Christo ineffabili commercio copulatam in qua idem unigenitus Dei filius a patre progrediens per illustrationem paracliti procedentis pariter ab utroque statuit fidei fundamentum.

*Sane* romana ecclesia mater alma fidelium caput est disponente Domino ecclesiarum aliarum omnium et magistra a qua veluti a primitivo fonte ad singulas alias ejusdem fidei rivuli derivantur ad cujus regimen voluit Christi clementia romanum Pontificem vice sui deputare ministrum

ut instructionem et doctrinam ipsius eloquio veritatis evangelice traditam cuncti renati fonte baptismatis teneant et conservent et qui sub hac doctrina cursum vitae recte peregerint salvi fiat cui vero ab ea devia-verint condempnentur.

*Ipsa* nempe romana mater ecclesia juxta exigentiam possibilitatis ipsius ad cunctas orbis provincias in quibus divini nominis cultus juget fideique catholice observantia rutilat intuitum sedule desiderationis extendens ac subjacens ab olim sue considerationis examini diuturne calamitatis angustias illius specialis hereditatis dominice videlicet Terre Sancte ab infidelibus miserabiliter conculcare in qua idem Patris Eternis filius nostre carnis indumento contextus salutem humani generis pietate ineffabili extitit operatus quamquam sua ipse voluit corporali insignire presentia et proprii aspersione sanguinis consecrare multa sollicitudine studuit eidem terre retroactis temporibus quibus potuit remediis ut eriperetur ab ipsis impiis subvenire.

*Et* quia inter ceteros quos professio christiane religionis includit milites et fratres domus Militie Templi Jerusalemitanensis sicut est toti orbi notorium tanquam speciales ejusdem fidei pugiles et jamdictae terre precipue defensores ipsius terre negotium principaliter gerere videbantur ipsos et eorum ordinem prefata ecclesia specialis favoris plenitudine prosequens eos adversus Christi hostes crucis armavit signaculo multis exaltavit honoribus ditavit facultatibus et diversis libertatibus et privilegiis communivit. *Huius* nimirum cum crederentur in Domini servitio sub regulari habitu fideliter militare sibi quasi cunctorum manus fidelium cum multiplici erogatione bonorum sentiebant multipharie multisque modis propterea adjutrices. *Sed* prohdolor nova et calamitosa vox de malignitatis fratrum ipsorum enormitate progrediens nostrum replevit immoverius perturbavit auditum. *Haec* enim vox nuntia lamentationis et gemitus audientibus horrorem ingerit commovet animos mentes turbat et cunctis fidei christiano multoribus novae et inefabilis amaritudinis calicem subministrat et dum facti seriem ejus necessitate poscente depromimus noster atenuatur praeangustia spiritus et valitudinis fatigata confractionibus membra singula prae nimio dolore tabescunt.

*Dudum* siquidem circa nostrae promotionis ad apicem Summi Pontificatus initium etiam antequam Lugdunum ubi recepimus nostrae coronationis insignia veniremus et post tam ibi quam alibi secreta quorundam nobis insinuatio intimavit quod magister praeceptores et alii fratres ordinis dictae Militiae Templi et etiam ipse ordo qui ad defensionem patrimonii ipsius Domini Nostri Jesus Christi fuerant in transmarinis partibus deputati contra ipsum Dominum in seclis apostasiae nephandum detestabile idolatriae vitium execrabile facinus sodomorum et haereses varias erant lapsi sed quia non erat verisimile nec credibile videbatur quod viri tam religiosi qui praecipue pro Christi nomine suum saepe sanguinem effundere ac personas suas mortis periculis frequenter exponere credebantur quique multa et magna tam in divinis officiis quam in

jejuniis et aliis observantiis devotionis signa frequentius praetendebat suae sic essent salutis immemores quod talia perpretarent hujusmodi insinuationi ac delationi ipsorum ejusdem Domini Nostris exemplis et canonicae scripturae doctrinis edocti aurem noluimus inclinare.

*Deinde* vero carissimus in Christo filius nostri Filippus francorum rex illustris cui eadem fuerant facinora nuntiata non typo avaritiae cum de bonis Templariorum nichil sibi vindicare vel appropriare intendebat immo ea nobis et ecclesiae per deputandos a nobis super hoc administranda governanda conservanda et custodienda liberaliter ac devote in regno suo dimisit manum suam exinde totaliter amovendo sed fidei orthodoxae fervore suorum progenitorum vestigia clara sequens accensus de praemissis quantum licite potuit se informans ad instruendum et informandum nos super hiis multas et magnas nobis informationes per suos nuntios et litteras destinavit. *Infamia* vero contra Templarios ipsos increbrescente validius super sceleribus ante dictis et quia etiam quidam miles ejusdem ordinis magnae mobilitatis et qui non levis opinionis in dicto ordine habebatur coram nobis secreto juratus deposuit quod in receptione fratrum prefati ordinis haec consuetudo vel verius corruptela servatur quod ad recipientis vel ab eo deputati suggestionem qui recipitur Christum Jesum negat et super crucem sibi ostensam sput in vituperium crucifixi et quaedam alia faciat recipiens et receptus quae licita non sunt nec humanae conveniunt honestati prout ipse tunc confessus extitit coram nobis urgente nos ad id officii nostri debito vitare nequivimus quin tot et tantis clamoribus accomodaremus auditum.

*Set* cum demum fama publica deferente ac clamosa insinuatione dicti regis necnon et ducum comitum et baronum et aliorum nobilium cleri quoque ac populi dicti regni francorum ad nostram propter hoc tam per se quam per procuratores et syndicos praesentiam venientium quod dolenter referimus ad nostram audientiam pervenisset quod magister praeceptores et alii fratres dicti ordinis et ipse ordo praefatis et pluribus aliis erant criminibus irretiti et praemissa per multas confessiones attestaciones et depositiones praefati magistri et plurium praeceptorum et fratrum ordinis praelibati coram multis prelatiis et haereticae pravitatis inquisitore in regno Franciae factas habitas et receptas et in publicam scripturam redactas nobisque et fratribus ostensas probari quodam modo viderentur ac nichilominus fama et clamores praedicti in tantum invaluisse et etiam ascendissent tam contra ipsum ordinem quam contra personas singulares ejusdem quod sine gravi scandalo praeteri non poterant nec absque iminenti periculo tolerari.

*Nos* illius cujus vices licet immeriti in terris gerimus vestigiis inhaerentes ad inquerendum de praedictis ratione previa duximus procedendum multosque de praeceptoribus presbiteris militibus et aliis fratribus dicti ordinis reputationis non modicae in nostra praesentia constitutos praestito ab eis juramento quod super praemissis meram et plenam nobis dicerent veritatem super praedictis interrogavimus et usque ad numerum septua-

ginta duorum examinavimus multis et fratribus nostris nobis assistantibus diligenter eorumque confessiones per publicas manus in autenticam scripturam redactas illico in nostra et dictorum fratrum nostrorum praesentia ac deinde interposito aliquorum dierum spatio in consistorio legi fecimus coram ipsis et illas in suo vulgari cuilibet eorum exponi qui perseverantes in illis eas expresse ac sponte prout recitate fuerant approbarunt.

*Postque* cum magistro et praecipuis praeceptoribus praefati ordinis intendentes super praemissis inquirere per nos ipsos ipsum magistrum ac Franciae Terrae Ultramarinae Normaniae Aquitaniae ac Pictaviae praeceptores majores nobis pictavis existentibus mandavimus praesentari sed quoniam quidam ex eis si infirmabantur tunc temporis quod equitare non poterant nec ad nostram praesentiam quoquo modo adduci. Nos cum eis scire volentes de praemissis omnibus veritatem et an vera essent quae continebantur in eorum confessionibus et depositionibus quas coram inquisitore pravitatis haereticae in regno Franciae praesentibus quibusdam notariis publicis et multis aliis bonis viris dicebantur fecisse nobis et fratribus nostris per ipsum inquisitorem sub manibus publicis exhibitis et ostensis dilectis filiis nostris Berengario tituli sanctorum Nerei et Achillei et Stephano tituli Sancti Ciriaci in terminis presbiteris ac Landulfo Sancti Angeli diacono cardinalibus de quorum prudentia experientia et fidelitate indubitata fiduciam obtinemus commissimus et mandavimus ut ipsi cum praefatis magistro et praeceptoribus inquirent tam contra ipsos et alias singulares personas dicti ordinis generaliter quam contra ipsum ordinem super praemissis cum diligentia veritatem et quidquid super hiis invenirent nobis referre ac eorum confessiones et depositiones per manum publicam in scriptis redactas nostro apostolatu deferre ac praesentare curarent eisdem magistro et praeceptoribus absolutionis beneficium a sententia excommunicationis quam pro praemissis si vera erant incurrerant si absolutionem humiliter ac devote peterent ut debebant juxta formam ecclesiae impensuri cui cardinales ad ipsos magistrum et praeceptores personaliter accedentes eis sui adventus causam exposuerunt et quoniam tam personae quam res ipsorum et aliorum templariorum in regno Franciae consistentium in manibus nostris erant quod libere absque metu cujusquam plene ac pure super praemissis omnibus ipsis cardinalibus dicerent veritatem eis auctoritate apostolica injunxerunt qui magister et praeceptores Franciae Terrae Ultramarinae Normaniae Aquitaniae ac Pictavae coram ipsis tribus cardinalibus praesentibus quatuor tabellionibus publici et multis aliis bonis viris ad Sancta Dei Evangelia ab eis corporaliter tacta praestito juramento quod super praemissis omnibus plenam et meram dicerent veritatem coram ipsis singulariter libere ac sponte absque coactione qualibet et terrore deposuerunt et confessi fuerunt inter caetera Christi abnegationem et spuitionem super crucem cum in ordine Templi recepti fuerunt et quidam ex eis se sub eadem forma scilicet cum abnegatione Christi et spuitione super crucem fratres multos recepisse sunt etiam quidam ex eis quaedam alia horribilia et inhonesta confessi

quae ut eorum ad praesens parcamus verecundiae subjecimus dixerunt praeterea et confessi fuerunt esse vera quae in eorum confessionibus et depositionibus continentur quas dudum fecerat coram inquisitore haereticae pravitatis quae confessiones et depositiones dictorum magistri et praeceptorum in scripturam publicam per quatuor publicos tabelliones redactae in ipsorum magistri et praeceptorum et quorundam aliorum honorum virorum praesentia ac deinde interposito aliquorum dierum spatio coram ipsis eisdem lectae fuerunt de mandato et in praesentia cardinalum praedictorum et in suo vulgari expositae cuilibet eorundem.

*Qui* perseverantes in illis eas expresse ac sponte prout recitatae fuerant approbarunt et post confessiones et depositiones huiusmodi ab ipsis cardinalibus ab excommunicatione quam pro praemissis incurrerant absolutionem flexis genibus manibusque complosis humiliter et devote ac cum lacrimarum effusione non modica petierunt. *Ipsi* vero cardinales quia ecclesia non claudit gremium redeunti ab eisdem magistro et praeceptoribus haeresi abjurata expresse ipsis secundum formam ecclesiae auctoritate nostra absolutionis beneficium impenderunt ac deinde ad nostram praesentiam redeuntes confessiones et depositiones praelibatorum magistri et praeceptorum in scripturam publicam per manus publicas ut est dictum redactas nobis praesentaverunt et quae cum dictis magistro et praeceptoribus fecerant retulerunt ex quibus confessionibus et depositionibus ac relatione inventis saepefactos magistrum et fratres in praemissis et circa praemissa licet quosdam ex eis in pluribus et alios in paucioribus gravit deliquisse. *Attendentes* autem quod scelera tam horrenda transire incorrecta absque Dei Omnipotentis et omnium catholicorum injuria non poterant nec debebant decrevimus de fratrum nostrorum consilio per ordinarios locorum ac per alios fideles et sapientes viros ad hoc deputandos a nobis contra singulares personas ipsius ordinis necnon et contra dictum ordinem per certas discretas personas quas ad hoc duximus deputandas super praemissis criminibus et excessibus inquirendum. Hiis nempe quae magis flere cogimur quam narrare cor nostrum passione nimia cruciatur et cum tanta proinde nobis imminiat gemendi materia fletum non possumus declinare.

*Quisnam* catholicus haec audiens nimis non doleat et prorumpat in luctum? *Quis* fidelis huiusmodi sinistrum eventum intelligens amara non emitat suspiria verbaque lamentationis et mestitudinis non eructet cum tota christianitas huius doloris sint particeps et hic casus fideles percutiant universos. *Ex* hiis etiam dum ministerio debitae considerationis nostrae mentis praesentantur obrutibus ignis in nostris meditationibus exardescit et ad tanta discrimina relevanda suspirat affectus caelus accenditur et spiritus anxiatur ad quod cum nos sufficeret comode non posset sciamus levamus oculos nostros ad montem montem quidem Dei montem uberem montem pinguem unde oportunitate proveniri nobis auxilium et humiliter petimus et devote speramus et quia salubre in hiis adhiberi remedium interest generaliter omnium.

Nos cum eisdem fratribus nostris aliisque viris prudentibus exacto et frequenti tractatu prae habito prout tantae necessitatis instantia exigebat de ipsorum fratrum consilio universale concilium sicut imitatione digna Sanctorum Patrum consuetudo laudabilis longeve observationis exemplo nos instruita proximis calendis Octobris ad duos annos immediate sequentes decrevimus congregandum ut in eo tam circa dictum ordinem et personas singulares et bona ejusdem et alia quae statum tangunt fidei catholicae quam circa recuperationem et subsidium Terrae Sanctae et reparationem ordinationem et stabilitatem ecclesiarum et ecclesiasticarum personarum et libertatum earum illa Deo auspice communi consilio inveniatur provisio et ejusdem approbatione consilii roboretur per cujus salutiferam executionem virtus altissimi climatis erroribus roborata fide ad tramitem veritatis reductis errantibus reintegrata ejusdem fidei unitate extirpatis vitiiis virtutibusque plantatis correctis excessibus moribus reformatis repressis oppressionibus libertate solida stabilitate munita recuperatis deperditis et ejusdem terrae statu prospero reparato occupata restituat vastata restauret et restaurata conservet nobisque viam aperiat idem ipse qui novit et facultatem tribuat ipse qui potest ut sic in praemissis juxta intensum animi nostri desiderium sibi ministrare possimus salubriter quod idem verus ejusdem universalis sponsus ecclesiae ipsam dilectam suam purgatam maculis munitam virtutum monilibus ac ornatam unam semper habeat et formosam ad sui nominis laudem et gloriam ad animarum profectum robur fidei pacem et exaltationem populi christiani.

Quia vero prosecutio tanti propositi tempore indiget ut deductum maturius facilius autore Domino effectum debitum sortiatur praedictum tempus ad id duximus deputandum. Unde venerabilibus fratribus nostris archiepiscopis et episcopis et dilectis filiis electis abbatibus prioribus decanis praepositis archidiaconis archipresbiteris et aliis ecclesiarum praelatis exemptis et non exemptis eorumque capitulis et conventibus per alias nostras litteras praecipiendo mandamus ut iidem archiepiscopi necnon et coeteri episcopi per ipsorum archiepiscoporum provincias constituti in eisdem litteris nominati reliquis ipsorum episcoporum in dictis provinciis remanentibus ad ea quae pontificale officium exigunt tam in suis quam illorum dictarum provinciarum qui ad hujusmodi concilium universale accesserint civitatibus et diaecesibus exercenda omni negligentia religata cunctis prout talis et tanti negotii qualitas exigit dispositis et paratis sic medio tempore se accingant ad iter quod in hujusmodi decreto termino quem eis et aliis peremptorie assignamus in Viennense civitate nostra iidem archiepiscopi et episcopi taliter nominati personaliter alii vero remanentes episcopi electi abbates priores decani praepositi archidiaconi archipresbiteri et praelati capitula et conventus per eosdem archiepiscopos et episcopos ad praedictum concilium accessuros quibus ad omnia quae in eodem concilio statuentur fiant et ordinabuntur fuerint oportuna concedant plenariam potestatem de qua sufficienter constet per publica documenta conspectui repraesentent.

*Quodsi* forsan ipsis archiepiscopis et episcopis accessuris hujusmodi noluerint concedere potestatem eo casu venire vel alios procuratores idoneos cum potestate simili ad idem teneantur concilium destinare non obstantibus quibuscumque privilegiis seu indulgentiis quibusque personis ordini dignitati seu collegio sub quacunque verborum forma vel expressione a praedicta sede concessis per quae possit effectus hujusmodi mandati nostri quomodolibet impediri aut eidem in aliquo derogari mandavimus insuper ut idem archiepiscopi et praelati per se vel per alios prudentes viros Deum timentes et habentes prae oculis omnia quae correctionis et reformationis limam exposcunt inquirentes subtiliter et conscribentes fideliter eadem ad ipsius concilii notitiam deferant et nos nichilominus variis modis et viis solers studium et efficacem operam dare proponimus ut omnia talia in examen hujusmodi deducta concilii correctionem et directionem recipiant opportunam hoc etiam in eisdem nostris litteris adjecto ut nullus in obedientiae notam et canonicae ultionis acrimoniam vitare desiderans fallacium excusationum velamento se muniat vel ex impedimentis itinerunt quae Domino prava indirecta et invias planas aspera sua omnipotentia convertente cessabunt frivulae allegationis munita confingat ut a tam sancti prosecutione operis se subducat sed occurrant singuli voluntarii ad id quod et divinae concruit voluntati et salutem animarum et utilitatem respicit singulorum caeterum quia multipliciter expedit ut tam celebre concilium tua et aliorum catholicorum principum decoretur praesentia ut salubri concilio et auxilio fulciatur serenitatem regia rogamus et hortamur attentius in remissione tibi peccaminum suadentes quatenus praescriptis loco et termino in eodem concilio captata interim ad hoc oportunitate studeas personaliter interesse meditatione provida prudenter attendens quod in hoc non solum labor quem ad tam sancti et utilis negotii promotionem assumes tibi cedit ad meritum verum etiam aliorum qui ad veniendum ad idem concilium efficacius tuo inducentur exemplo et nichilominus vota tua nobis poteris familiarius aperire quae in omni benevolentia libenter ad exauditionis gratiam quantum cum Deo ac ecclesiae honore poterimus admitteremus.

*Datum* Pictavis secunda idus Augusti Pontificatus nostri anno tertio.